AUGUSTINUS. HUGO DE SANCTO VICTORE

Klosterneuburg, 1508 Seite 25r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=390
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et plerumque extollencias et delicias querunt. Sed sic
diximus valde detestabile et perversum est ibi paupe-
re delicias querere quas ante non habuit; ubi dives pro
amore dei mittitur laborare. Ille servit ventri; ille spi-
ritui. Ille per latam et spaciosam viam tendit ad penam;
iste per artam et angustam viam tendit ad gloriam. Sequitur
Sane quemadmodum egrotantes necesse habent minus
accipere ne graventur, ita et post egritudinem sic tractandi
sunt ut citius recreentur; etiam si de humillima seculi paup-
tate venerunt, tamquam illis contulerit recencior egritu-
do; quod divitibus anterior consuetudo. Sunt quedam
egritudines in quibus si absumunt non adiuvat sed
gravat; et tunc necesse habent egrotantes minus accipe-
re ne graventur. Exposita autem egritudine sic tractandi
sunt ut citius recreentur. Et in hac recreacione fratrum
non debet esse accepcio personarum. non debet contempni
humillima paupertas in hiis que postulat humana ne-
cessitas; cum hoc eis recencior egritudo contulerit
quod divitibus anterior consuetudo. Qui enim miseri-
cors est in alium, deus misericors est in ipsum. Unde